

Pater, filius et asinus

Pater cum filio per viam Latinam it (ii Tusculo Romam eunt). Pater, qui debilis¹ et senex² est, asino vehitur, filius, qui iuvenis³ et fortis⁴ est, prope eum ambulat. Super eos nullae nubes sunt et sol in caelo lucet, ante eos campi cum multis arboribus sunt. In umbra arborum multae oves cum pastoribus suis iacent. Pater laetus pastores salutat: is fessus non est, quia vehitur, filius eius autem solem, oves, pastores non spectat, quia ambulat et fessus est. In umeris eius enim saccus est, in quo insunt multa mala et pira. Vir et femina qui in via sunt, eos vident, et femina viro dicit: «Vide hunc senem! Ille tranquillus it: nam vehitur asino, et post eum eius filius ambulat cum magno sacco! Malus et improbus est pater qui asino vehitur et cuius filius ambulat!». Pater audit, et filio dicit: «Veni, Quinte! Ego ab asino descendo, tu in eum ascende!». Filius agit id quod pater dicit et eunt. Post unam horam, pater iam fessus est. Duo homines qui prope viam sub arbore iacent eos vident et dicunt: «Ecce moribundus senex ambulat prope formosum et fortem puerum! Quam malus est puer qui asino vehitur ante debilem patrem!». Puer audit id quod dicunt et tacet. Postea⁵ dicit: «Tu quoque ascende in asinum, pater!», et pater ascendit. Dum et pater et filius asino vehuntur, aspiciuntur a multis puellis, quarum una dicit: «Spectate, amicae meae! Spectate duos viros

¹ *debilis* = debole

² *senex* = vecchio

³ *iuvenis* = giovane

⁴ *fortis* = forte

⁵ *postea* = poi

magnos parvo asino vehi. Mali sunt, qui hanc parvam bestiam baculo ducunt. Asinus fessus ab iis pulsatur et verberatur! Nonne mali sunt?». Senex et iuvenis puellae verba audiunt et maesti descendunt, et ante asinum ambulant. Spectantur a pastore, qui iis dicit: «Quam stulti estis! Asinus laetus it, et vos, ut bestiae, fessi et maesti ambulatis!».

Pater filium aspicit et clamat: «Si audimus verba feminae et hominum et puellae et pastoris, stulti sumus! Itaque, faciamus ut nos ipsi contenti simus!».⁶

(Ivana Milani)

⁶ = Dunque, facciamo in modo di essere contenti noi!